

noster Hammeburgensis Archiepiscopus ad Apostolicam sedem veniens in nostra præsentia questus est, quod cum Episcopis Regni tui, sicut antiqua prædecessorum nostrorum Gregorii, Sergii, Leonis, Benedicti, Nicolai & Adriani Romanorum Pontificum privilegia indicare noscuntur, metropolitano jure possideat, debitam ei obedientiam denegare præsumant. Quia igitur nostri officii est, male gesta corrigere, & ad viam rectitudinis revocare, Nobilitati tuæ rogando mandamus, quatenus præfato Fratri nostro A. Hammaburgensi Archiepiscopo tanquam Metropolitano tuo humiliter pareas, & ut Episcopi terræ tuæ ad ipsius obedientiam redeant, pro facultate tibi a Deo collata diligenter efficias. Data apud montem Aventinum VI. Kalend. Junii

32.

1133 d. 27 Maj.

Rom.

Påfv. INNOCENTIUS II:s befallning till Svenska Biskoparne i samma ämne.

K. 535.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei venerabilibus fratribus universis Episcopis Suediæ salutem & apostolicam benedictionem. Aequum est ut qui aliis præesse desiderat suis prælati revereri humiliter non erubescat. Cæterum venerabilis frater noster A. Hammaburgensis Archiepiscopus ad sedem Apostolicam veniens graviter questus est, quod cum vobis, sicut est in antiquis privilegijs, Gregorii, Sergii, Leonis, Benedicti, Nicolai & Adriani Romanorum Pontificum continetur, metropolitico jure præsideat, debitam ei obedientiam subtrahatis, quod profecto a vobis tanto est studiosius corrigendum, quanto subacto populo etiam in hoc bonæ conversationis exempla debitores estis impendere. Per præsentia itaque scripta fraternitati vestræ mandamus, quatenus præfato fratri nostro A. Hammaburgensi Archiepiscopo, tanquam Metropolitano vestro, obedientiam & reverentiam deferatis, & nullam ei super hoc molestiam de cætero irrogetis. Datae apud montem Aventinum VI. kl. Junii.

33.

1135 d. 6 Jan.

Lund.

Konung ERIC ERICSONS i Danmark Bref på anslag till Prebenda för en Canik i Lund.

B. 1: 121.

Fvndacio prebende canonicalis per Ericum regem Erici regis filium.

In nomine sancte & indiuidue trinitatis Ericus. erici filius. Divina fauente clemencia. Danorum rex. Omnibus Catholicis. Salutem. De magnis tri-